





cipue in febribus, in quibus aliquando necesse est evitare ipsarum febrium accessiones, insultus, incurfiones, nam prope hæc tempora venam secare est hominem à medio tollere. adde quod aliquando procrastinatio in causa esse potest, ut æger succumbat, etiam si sit aliquarum tantum horarum, ut uluvenire potest in præcipitibus nonnullis morbis, qualis esset acutissima Pleuritis, suffocans squinania, aut alia pernecabilis inflammatio interna; debita ergo severitate in hunc errorem animadvertendum, & Medici quidem culpam in his casibus evitare debent, urgendo, ut sanguis quamprimum detrahatur.

Sed videamus tandem num circa consilium dandum id genus hominum quicquam peccare possit, quod vel temporali, vel spiritali poenæ, aut utriusque subiiciatur. notum autem est ad eos non pertinere ullum consilium ægrotis dare, sed ad Phisicum, qui vitæ institutum præscribit, & idcirco nihil peccant hi omitendo aliquid consulere, cum 23 nihil teneantur consulere, sed committendo sæpissime, ac graviter ob eorum audaciam peccant; dant enim & ipsi interdum prava aliqua consilia, ut circa abortum procurandum, circa coitum exercendum, vel circa aliquid simile, in quibus duplici ex capite veniunt puniendi, primo quod transgrediantur propriam capacitatem, & facultatem eis concessam, immisceantque se in iis, quæ ad eos non pertinent. Secundo quod consulant ea, quæ contra Animæ salutem sunt. Denique circa horum Artificum mercedem quando, & à quibus accipere possint idem videtur dicendum, quod in superioribus de Chirurgis dictum est.

## S V M M A R I V M.

- 1 Aromatarii quomodo errent circa peritiam.
- 2 Aromatarius non habens sufficientes divitias ad exercendam artem graviter peccat.
- 3 Circa electionem medicamentorum quomodo errent Aromatarii.
- 4 Circa medicamentorum, quæ Medici præscribunt quantitatem quomodo delinquant Aromatarii.
- 5 In compositione medicamentorum Aromatarii quomodo errent. Et num. seq.
- 7 Circa medicamentorum ætatem quomodo errent.
- 8 Circa usum medicamentorum quomodo errent.
- 9 Circa recipiendas visitationes Medicorum Aromatarii, quaratione errent.
- 10 Sepiasiariorum errores.

## De Aromatariorum, &amp; Sepiasiariorum erroribus.

## Q V Æ S T I O X.

QVam multiplici errore implicentur, & implicari possint Aromatarii in propria Arte exercenda, non est quod pluribus demonstrare laborem, satis fuerit si nonnulla generaliora in medium proferam, ex quibus lectores facile in medium proferam, ex quibus lectores facile in medium cognitionem devenire possint. Sed horum artificum delicta hæc respectu variarum rerum considerare, ut primo respectu peritiam; secundo respectu facultatum, quibus assuunt; tertio circa electionem, & qualitatem medicamentorum; quarto circa quantitatem eorumdem; quinto circa præparationem;

sexto circa compositionem; septimo circa eorumdem commutationem; octavo circa eorum ætatem; nono circa usum; decimo circa Aromatariorum visitationes.

Vt ergo à primo incipiamus, certum est moraliter peccare Aromatarium, non minus quam Medicum, & Chirurcum, cum absque sufficienti peritia pharmacopæam exercere aggreditur; in quibus autem, & de quibus sit hæc peritia satis docuerunt ii, qui de huiusmodi arte præcepta tradiderunt; ex quibus antequam Aromatarius ad eam artem sese accingat, ediscendum quemnam cognoscere oporteat: neque id solum sufficere putandum, sed maxime necessarium esse sub solerti ejus artis magistro sese exercuisse, à quo postquam idoneus iudicatus fuerit, poterit consueto, ac diligenti examini se subicere, quæ si minus præsterit, gravi illum errore detineri certum est, cuius complices, & participes illi sent, qui ad pharmacopæam exercendam eum tanquam idoneum admiserunt, etiam si non sit.

Secundo graviter errat ille, qui Pharmacopæam exercere aggressus, sufficientibus divitiis non affluit, quibus Aromatariam rebus necessariis, & opportunis instruere possit; ad hoc enim teneri quemcumque Aromatarium ex Medicorum auctoritate satis testantur omnes, qui Antidotaria, aut de huiusmodi Arte libros ediderunt, & inter alios ita eos obligari dicunt Val. Cord. in princ. sui Antid. & Calefan. par. 1. suar. Obser. in princ. & hoc summa cum ratione, quia nunquam fieri potest, ut absque medicocibus saltem divitiis Pharmacopola suum munus recte, & ut deoet exercere possit in hac arte; in qua tam facile potest Artifex hominem decipere. paupertas autem licet in homine alias non malorum morum, nec pravæ propensionis, multa contra artem simul, & contra conscientiam, & contra hominum salutem machinari non docet modo, sed cogit, quia ut moralissimus Poeta noster Petrarca dicebat:

— Il poverel digiuno  
Viene ad auto talor, ch' in meglio stato  
Hauria'n altrui biasimato.

Imo & in statutis Aromatariorum existat Bulla Iulii Tertii, si recte memini, quæ obligat quemcumque, qui aromataria instruere velit, aut habeat quingentos nummos aureos, quos in ea impendat. Itaque qui suæ indigentæ sibi conscientius tamen non abstinet ab hac arte exercenda, perpetuo occasionem peccato præbens se animæ periculo evidenter exponit.

Tertio Aromatarii sæpissime delinquant circa electionem, & qualitatem medicamentorum, quibus utuntur, eligendo vetustiora, & obsoleta, & quæ nullius valoris sunt, ut viliori emant, vel ne de novo emant, coganturque ea, quæ habent, projicere; quod peccatum tam grave est, ut præterquam quod gravibus poenis se subiiciunt, ut dicit Aq. de Infirm. cap. 42. num. 25. si ex hoc mors alicujus sequatur, rei mortis efficiantur. Carrar. de Med. & ejus off. p. 4. num. 143. neque solum errant Aromatarii trahentes in usum medicamenta jam vieta, & obsoleta, sed etiam non eligendo inter bona meliora, & inter selectiora; quia in hoc maxime, ac præcipue consistit Aromatarii solertia, & diligentia, à qua si deficiat, manifestum est illum errare; neque debet esse contentus mediocri diligentia uti, ut bona

bona inveniat, sed summa adhibere debet, ut optima investigare queat.

4 Quarto circa quantitatem medicamentorum errant Pharmacopæi, vel in componendis medicamentis officialibus, vel in expediendis Medicorum ordinationibus, quas receptas vocant: in utroque enim casu si minorem, aut majorem quantitatem in usum trahant, quam Medici præscriperint, in magnum, & nonnihil faciendum errorem labuntur, cum possint esse notabilis damni causa, aut periculi vitæ earum personarum, quæ talia medicamenta assunt. jam non semel evenisse scimus ægros ex huiusmodi Pharmacopæorum errore evidenter periclitatos; dum enim fatagunt hi, ut medicamenta suum effectum sortiantur, dosim quorundam simplicium iterum augendo id se consecuturos autumant, ut, exempli gratia, in opiatibus opium augendo, aut in medicamentis solventibus augendo solventia, ex quibus factum aliquando est, ut Ægri in lethargum, vel in superpurgationem ex alterutro errore lapsi sint. Ægro cuidam D. Balthasar Bonannus vir non vulgaris doctrinæ, nec vulgari laude dignus medicamentum quoddam satis ad rem præscripserat, quo assumpto Æger toties egressit, ut animam jam agere videretur. Medicus ægrum invisens præter opinionem toties leve medicamentum, ac tanta cum virum dejectione, alvum movisse comperiens, quid esset suspicatus, ad Pharmacopolam properat; apud ipsam conqueritur de medicamento illi ægrotanti dato, quod nihil omnino alvum deiecit, tum sudax Pharmacopola, miror, inquit, ejus rei, cum medicamento à te præscripto, ut promptius solveret, Disgridium commiscuerim. sic solertissimus Medicus procacissimi artificis dolum detexit, & opportunis auxiliis superpurgationem compescuit, multo autem libentius, ut est cujuscunque doli hostis acerrimus, & æqui amantissimus, ignari illius artificis audaciam compescuisset.

5 Quinto in componendis medicamentis multis modis errant Aromatarii tam in electione medicamentorum, eorumque qualitate, de qua supra, quam in quantitate, & in modo compositionis, nam circa electionem, & qualitatem non potest Aromatarius absque gravi culpa, nulla causa cogente, nullaque urgente necessitate medicamenta à Medici præscripta commutare, & quid pro quo absque Medici licentia accipere. Io. Alphons. a Fontech. in spec. Med. Christi. l. 1. pag. 38. in fin. tametsi enim sancitum jam à multis doctissimis Medicis sit, quid in defectu unius medicamenti assumere debeamus, quod ad deficientis naturam quam proxime accedat, & vires imitretur, tamen diligens Aromatarius in hoc non debet esse facilis, sed tenetur omnem operam impendere, ut ipsa medicamenta ab auctoribus præscripta inveniat; quod si diligentia adhibita tamen non inveniat, tunc excusari potest, si accipiat quid pro quo, id est unum pro alio. Ratio ejus rei est, quia licet hæc medicamenta substituta, seu supposititia similem sortiantur naturam, & vires cum iis; quibus substituantur, & similia sint, non sunt tamen eadem, quia simile non est idem, neque fieri potest, ut in aliqua re ab illis non deficiant, semperque supposititia hæc medicamenta in virtute inferiora censenda sunt iis, quibus sunt substituta, unde Auctores non substituta, sed ea, quibus substituantur elegerunt.

6 Sexto circa compositorum medicamentorum

compositionem quantoperè errent interdum mali Artifices facile norunt, qui de ea re particulariter verba fecerunt, quorum omnium instar sit in omnibus Medicinæ operibus exercitissimus Medicus Petrus Castellus; qui in suo novo Antidotario, anno 1634 edito, exquisita diligentia edocet, quomodo hæc medicamenta componi debeant, & quam ratione aliquando errare Aromatarios contingat tam in electione, & in præparatione, quam in commixtione simplicium, & in coquendo, & fermentando, & conservando composita. Malorum autem Artificum errores solertes, exercitæque Medici, & Aromatarii non semel deprehendunt; tenetur autem ipse Aromatarius, si errores non sint emendabiles, si sint notatu digni, composita abjicere, quod si non abiciat, toties mortaliter peccat, quoties iis utitur.

7 Septimo delinquant circa medicamentorum tam simplicium, quam compositorum durationem, & quidem enormiter, quia ne abjicere cogantur, ea post expiratam terminum durationis eorum, adhuc in usum trahere non desistant, eaque magno cum Medicorum dedecore, & gravi cum ægrorum damno illis ministrant; certum autem est huiusmodi viros tanquam ficarios esse habendos, & summa cum severitate esse puniendos, in his enim malus dolus intervenit, quia cum optime noverint, quanto tempore medicamenta integra virtute servari possint, sciantque ea ob id non esse bona, sed mala, & nullius pretii, tamen hominum salutem nihil facientes, ob avaritiam illis uti non desistant. qui tamen de medicamentorum duratione certior fieri cupit præter Auctores Antidotariorum, recurat ad supra nominatum Petrum Castellum de hac re scorsim in particulari libro differentem.

8 Octavo circa usum medicamentorum errant Aromatarii, quando iis se utuntur absque Medicorum licentia; neque solum puniendi cum ad malum finem id faciunt, sed etiam ad bonum. idcirco respectu prioris prohibentur absque sufficienti licentia vendere, aut præbere medicamenta venenosa, solventia, opiatia, abortiva, & huiusmodi alia per l. 3. §. alio Senatufconsulto. ff. ad l. Cornel. de sicar. licet enim ibi solummodo venenorum commercium, & aliquorum tantum interdicitur, tamen omnibus similibus eorum exemplo Legislatorem interdixisse non est ambigendum, quod ex ipsius Textus verbis palam est, ut admonui alias lib. 2. harum Quæstionum tit. 2. quæst. 12. in princ. Respectu etiam posterioris, nempe quando ad bonum finem fit, Aromatarii sunt puniendi, si id absque licentia faciant, quia transgrediuntur propriæ Artis limites, ex qua transgressione mille errores, & his multo plures pullulare possunt.

Denique quia laudabili consuetudine introductum ubique terrarum est, ut semel in anno saltem ab aliquo Collegio Medicorum, vel ejus aliquo idoneo ministro Aromatariæ omnes visitentur, ut Aromatarii eas oportunitis, bonique medicamentis instructas sufficienter habeant, fit inde ut Pharmacopole malitiose admodum in ea re errent; cum enim norunt propriam Apothecam esse visitandam, medicamenta si quæ mala habeant, celare student, & ea interim ab aliis, ut etiam quæ deficiunt, mutantur; decipiuntque hoc pacto ministros ipsos visitantes, penamque deficientium, & malorum medicamentorum effugiunt, in hominum perniciem ea postmodum adhiberi.

Post Aromatarios de Sepaliariis agendum, qui & ipsi multipliciter errare possunt tam in colligendis, quam in conservandis, & vendendis simplicibus; debent enim ea suo tempore, ac debito ex loco colligere, conveniente item loco reponere, ac conservare, & ubi oportuerit siccare; neque longiori tempore ea venalia habere, quam par sit; in quibus si quid notabiliter peccaverint, culpæ rei efficiuntur, cum & in grave interdum damnum hominum illis utentium eorum errores emanare possint. non adhibita enim diligentia, quæ in ea re desideratur, huiusmodi simplicia, aut propriam virtutem amittunt, aut saltem remittunt, aut etiam aliquando contrariam induunt naturam, quæ nocere magis, quam juvare est apta. Possunt insuper & hi ut Aromatarii, alique id genus artifices errare vendendo medicamenta venenosa, solventia, somnifera, abortiva, aut alia mala qualitate insignia. quin & si aliis hominibus ad malum aliquem finem horum medicamentorum virtutem commonstrent, graviter delinquant, & debitam ejus delicti poenam reportare debent.

## S V M M A R I V M.

- 1 Empirici toties errant, quoties sese in curandis hominum morbis immiscunt. § num. 4.
- 2 Empirici ab omni ratione alieni.
- 3 Empirici antiqui sua remedia ex triplici fonte depromebant.
- 5 Empirici licentiam dispensandi aliquod medicamentum habentes, si illud aliis morbis adhibeant, quam vis pro quibus licentiam habent, puniendi.
- 6 Circulatores audire, & ab illis medicamenta emere est peccatum.
- 7 Chemicorum peritia suis principis, & rationibus innixa.
- 8 Chيميци superbe sanitatem à suis medicamentis hominibus promittunt.
- 9 Chيميци dupliciter errare possunt.
- 10 Chيميци quomodo errant in administrandis suis medicamentis.

## De Empiricorum, &amp; Chemicorum erroribus.

## QVÆSTIO XI.

1 QVotquot actiones Empirici faciunt immiscendo se in curandis hominum morbis, tot errores eos patrare tam certum est, quam quod certissimum. si enim vera est jam sæpe adducta Canonistarum omnium opinio, quam sequuntur etiam Medici, quod sub pena mortalis peccati non possit ullus Medicus antequam morbum cognoscat, medicamenta administrare, certe empirici quoties medicamenta administrant, toties peccato mortali subjiciuntur, quia medentur non cognito morbo, nec causa inquisita. Galen. in *Introd. seu Med. cap. 3.* & tamen aberrare in salutis propriarum Animarum, cæterorumque hominum perniciem permittuntur; ac mirandum me hercle, quomodo non quis videat, Empiricos non posse quicquam, nisi ex casu, in hominum salutem afferre; quia si quid salutare hominibus futurum est, profecto ratione aliqua inveniendum est, futurum salutare, sed Empirici à ratione ita sunt alieni, ut ei sint inimici manife-

sti, quia nihil aliud fatagunt, nisi ut, quæ ratione inventa sunt, destruant, ut inculcat Galen. *lib. 1. de A. lim. fac. in princ.* quod si vetustiores Empirici, qui tamen aliquibus præceptis suæ ipsorum Artis innitebantur, & secundum ea operabantur, ut pluries demonstrat Gal. & præcipue in *Introd. ubi supra, & de opt. scila ad Therap. cap. 20.* tam insigniter errabant, tamque irrationabiles erant, ut eosidem Galenus lapidibus assimilaret, quid dicemus de nostri temporis Empiricis, quos ex ignorantia, & temeritate progenitos esse dejerarem, qui, licet illi tam à ratione alieni essent, tantopere illi ipsis sunt ratione inferiores; ut demonstrat Sanctior. de Sanctor. *lib. 12. de vit. error. cap. 5.* Illi quidem tres fontes constituiebant, ex quibus remedia depromebant, propriam nempe inspectionem, Historiam, & Analogismum, nostri neque ullum huiusmodi fontem constituent, neque unde remedia depromant, noverunt, neque quæ agenda sunt ad aliqua capita referre sciunt, neque tandem cognoscunt, quam tantopere in ore habent experientiam, quæ satis post Galenum, & alios demonstrata sunt à præcitato Sanctorio *ubi supra.* sed unde obsecro tanta hominum patientia in hoc ignavo hominum genere tolerando? num quia facile in aliis patimur ea, quæ nos etiam patrare fatagimus? unumquique enim occasione præsentis se pro Medico jactare posse desiderat, unumquique etiam suas in morbis anteposita experientias, neque ullum hominum genus est, etiam mulierculis ipsis, vilissimisq; ancillis non exceptis, quod non habeat ad certas quasdam ægri tudines sua remedia expertissima, quorum auxilio certo certius morbi illi curentur; tanta est in omnibus medicum se aliis ostentandi prurigo.

Quoniam vero præter meum esse institutum eorum, qui vere Empirici sunt, errores profectum, hancque sectam (sed quid ego sectam dixi? turbam potius dixerim) ab his metu poenæ deterrere, de ipsis plura non addam, omnia enim mihi dixisse videor, cum toties errare eos firmaverim, quoties manu ad medendum admoveat, certumque esse debet, quod si quid damni tales homines ex suis medicamentis cæteris inferant, de damno tenentur, & si quem medicamentis suis occiderint, tenentur etiam de homicidio. Quia tamen eorum nonnulli sunt, qui à quibusdam Collegiis, vel supremis Principibus licentias reportant certa quadam medicamenta venalia habendi (an id autem iis tuta conscientia concedatur illi videant, ad quos pertinet) de his peculiariter dicendum, quod quodcumque sua remedia ad alios morbos, quam ad expressos in suis licentiis adhibeant, severissime sunt puniendi, & huiusmodi licentiis privandi. Sed quis est, qui procaecam eorum loquacitatem in circulis compescat? quodcumque remedium ab eis dispensatum ad omnes, ac singulos morbos fugandos valet, & si iis liceret etiam ad mortuos suscitandos illud valere dejerantes affirmare non dubitarent. nihil profus est, quod suis hinc in suis remediis summa temeritate non audeant intentare, ac verbosa quadam, naturalique loquentia credulos plerosque ex plebe, imo & alios homines ad ea coemenda non alliciunt modo, sed pæne cogunt. Verum tales homines, quos Circulatores, & Ceretanos vocamus, audire, ab illisque medicamenta emere peccatum esse ex D. Thomæ auctoritate luculenter demonstrat Merc. *lib. 4. Error. popul. cap. 8.* ubi & rationes ad hoc afferit.

Empi-

Empiricis proximum aliud genus hominum est ipsi Empiricis non minus procaex, quod chymicum dicitur, per quos illos artifices intelligo, qui cum nullam habeant Philosophiam, aut rationem, cui innitantur, sed solum destillandis, ac suo modo præparandis medicamentis destinati, audent tamen quæcumque se offerat occasio manum admove-re, alias autem si, qui cum ratione Chemicis remediis utuntur, etiam alias quam de cæteris faciant, laudandi sunt non vituperandi, quod Medicinæ præsidia augeant. sed ignarum illud genus hominum suis remediis tantopere fidit, ut nihil supra medicamenta omnia rectificare, & purum ab impuro, separare autumant, foliisque rerum substantiis nulla labe, nullaque fecum illuvie conspurcatis uti se credunt, tantisque elogiis sua hæc medicamenta extollunt, ut minimum, quod præstare posse affirmant, sit morbos quoscunque etiam incurabiles, ac desperatos cito, tute, jucunde sanare; majora multa promittunt, jam morti proximis ab orci faucibus eripere, vitam ad longum tempus protrahere, parumque abest, quin suis remediis homines beatos efficere asserunt, tantum omnia divina, vitalia, cælestia sunt quæcumque proponunt.

Quoniam autem Chemicorum peritia suis principis, & rationibus innititur, nolim idcirco putare quicumque, me Chemicam à Medicina eliminare, imo in nonnullis etiam eam maxime proficuum agnosco; velim tamen chimica remedia debita diligentia à suis artificibus præparata à rationalibus Medicis tractari, non autem ab irrationalibus quibusdam, ac procaçissimis mechanicis, qui putant se non minus scire eorum medicamentorum præparationem, quam usum, quod tantum à vero abest, ut hac audacia impulsus in mille errores in hominum perniciem indies labantur, cum neque morbos cognoscant, nec modum utendi suis medicamentis, quibus tantopere fidunt, ut in detestandum illum errorem eos incidere contingat, cujus in principio nonnullos quoque rationales Medicos insinulavimus, nempe quod superbe sanitatem hominibus promittant, ita ut fumæ Dei potentia detrahere videantur.

9 Sed præter hunc errorem dupliciter peccare possunt Chيميци, primo in iis, quæ ad ipsam chemicam Artem propriæ spectant, quæ cum pars quædam Pharmacopæi sit (de operativa loquor) non minus hi, quam Pharmacopæi errare solent & in electione, præparatione, & asseratione medicamentorum tam simplicium, quam compositorum, & in aliis omnibus, in quibus Pharmacopæos errare diximus. secundo errare possunt circa eorumdem medicamentorum administrationem, & hoc modo dupliciter, vel administrando ea per se absque ulla Physici licentia, vel administrando cum licentia, sed non ut Physicus jubet; primo modo Chيميци semper gravius errat duplici ex causa, prima, quia morbos, quibus ea adhibent, non cognoscunt, secunda, quia non norunt tempus adhibendi, advertendum tamen, me semper loqui de Chemicis Mechanicis, & qui Rationem non sequuntur, qui ea tantum medicamenta præparare, non ut ratio postulat, in usum trahere norunt; alias enim Medici rationales Chيميا addidit, qui & morbos, & tempora morborum cognoscunt, & medicamentorum, quibus utuntur, naturam, sciunt etiam incommoda ab illis provenientia evitare, neque promiscue, ut illi faciunt, & indifferenter in omnibus

morbis iis utuntur, cum nonnullos irritare potius quam sanare possint.

Secundo modo in administrandis suis medicamentis errant Chيميци, cum ea administrant ex licentia Physici, sed non, ut Physicus præscripserit, & in ea quantitate, quam iusserit, aut non cum circumstantiis, quas ille desideraverit, quocumque enim ex his modis sua remedia adhibeant, culpæ rei efficiuntur, maxime si quid inde damni assumentibus emanare possit.

## S V M M A R I V M.

- 1 Muliercula etiam sub nomine Medici veniunt.
- 2 Obstetrices possunt, ut Physici, in consilio, in opere, in mercede recipienda errare.
- 3 Obstetrices quomodo errant, cum mulieres extra prægnantiam, & partum tractant.
- 4 Obstetrices quomodo in prægnantibus errant.
- 5 Obstetrices non debent medicamenta ad prægnantiam explorandam adhibere.
- 6 Obstetrices quomodo errant in parturientes, & puerperas.
- 7 Obstetrices quomodo errant in fetum.
- 8 Obstetrices quomodo errant in fetum simul, & puerperam.
- 9 Obstetrices per negligentiam quomodo errant.
- 10 Obstetrices tenent veram baptizandi formam calcere, alias toties peccant gravissime, quoties recentos natos baptizare aggrediuntur.
- 11 In præscriptione vicinis puerperarum quomodo delinquunt obstetrices.
- 12 Obstetrices errant quicquam per hos exhibendo.
- 13 Obstetrices an teneantur parturientibus confessionem suadere.
- 14 Obstetrices peccant in iudicio falsum referentes.
- 15 Omitendo circa operationem quomodo errant.
- 16 Obstetrices nimis verule, & impotentes errant artem exercendo.
- 17 Mulieres an absque licentia Obstetricis officium exercere possint.
- 18 Obstetrices plures parturientes in cura suscipientes, quam quibus satisfacere possint, errant.

## De Obstetricum erroribus.

## QVÆSTIO XII.

Mulierculas etiam sub nomine Medici comprehendendi, jam ab initio hujus tituli firmavi, sed earum aliquæ sub Empiricorum genere continentur, nempe quæ, ut Empirici factitant, nonnulla medicamenta ad quosdam morbos administrant, de quarum erratis non aliter quam de erratis ipsorum Empiricorum sentiendum: sed aliæ obstetriciam Artem exercent, licet omnes sceminea audacia, & ignorantia ductæ, etiam medicamenta nonnulla administrare soleant; sed nos de iis tantum nunc erroribus hic agemus, quos hæc in officio Obstetricis patrare possunt, ob quorum culpam vel punitionem à civili Lege reportare debeant, vel peccatum incurere; de qua re licet copiosissime scripserint plurimi Doctores, & præ omnibus ex Neotericis Mercurius in *lib. cui ritulum fecit. la Commare, & lib. 6. Err. popul.* tamen non desitam ego, quæ ad meum argumentum faciunt, hic adjungere, ne ex eorum omissione mancum in hac parte fuisse me quisquis sit existimet.

ij Ll 4 Ob.

Obstetricæ ergo cum sint cæterarum mulierum præcipue fecundarum, earumque quæ marito junguntur, Prothomedicæ, non aliter quam Physici possunt in consilio, in opere, & in receptione mercædis committendo, & omitendo delinquere. vel ergo obstetrices extra prægnantiam, & partum mulieres tractant, vel in prægnantia, & partu. Extra prægnantiam, & partum multipliciter, ac insigniter errant obstetrices uno ex commemoratis modis, ut cum contra animæ salutem quicquam mulieribus persuadent, ut non licitum coitum ad suscipiendos liberos ex alio, quam ex proprio viro, usum vani alicujus, & superstitiosi remedii ad eundem finem suscipiendæ proles, vel aliam quemcumque, aut cum medicamenta coitus desiderium excitantia commonstrant, aut viri vel proprii, vel cuiusvis amorem conciliantia, cum corrupturam virginum integritatem reparare docent, vel lac à partu excicare, vel fertilitatem inducere, & conceptum impedire, cum medicamenta genitalium laxitudinem constringentia administrant, cum fucos, & cosmetica ipsi mulieribus parant, vel indicant, & alia hujusmodi ad malum finem adhibita; in his enim omnibus quantopere ipsæ propriam conscientiam aggravent, non meum est demonstrare.

In prægnantes porro non minus, imo multo magis graviter peccant, cum vel aliquid facere, vel aliquid assumere, aut alio modo adhibere ad abortiendum eas mulieres docent, quas minime gravidas esse decet, ubi notandum est, quod quamquam ex multorum sententia Medicus possit ob matris salutem abortum non animati foetus procurare, tamen obstetrici id nunquam omnino licebit, ita ut nulla exculpatione digna sit, si quando in tale facinus fuerit lapsa, quia suam capacitatem prætergreditur.

Sed neque tuta conscientia potest obstetrici ad detegendum, an mulier gravida sit, nec ne, aliqua medicamenta propinare, aut supponere, aut aliter adhibere hujusmodi foemina familiaria, ut, exempli gratia, Aqua mullâ à cœna exhibita, anisum tenuissime tritum, & aqua dilutum, Allium, Netopum, Galbanum supposita, & alia his similia, suffitus, aliaque id genus, quorum licet plura ab Hippocrate primo, & mox ab aliis tam vetustioribus, quam recentioribus proponantur, ab aliis tamen pluribus rejiciuntur, eo quod omnia hujusmodi experimenta periculi plena sint, cum facillime abortui causam dare possint.

Porro autem in parturientes obstetrices errant dupliciter, vel in eas solum, vel in foetum. in foetum primo cum ipsum perire permittunt, vel dolo occidunt; event enim aliquando foetus nasci parentibus ipsis invisus, ut cum nascuntur monstrosi, scioque ipsas obstetrices cum tales nascuntur à parentibus petere an umbilicus illis alligandus sit, vel non alligandus, sed sic permittendus, ut foetus non vivat; aliquando etiam matres cælari partum volunt, & sic ab ipsis obstetricibus nefario ausu auxilium reportant, foetum enim in ipso ortu, & exitu ab utero facile illis est necare; atque in his casibus eas tanquam homicidas esse puniendas non est dubio locus. neque obstat, quoad partum monstrosam, quod monstrum possit impune occidi, ut dicam alias, viz. de monstris, in princ. quia non indifferenter de quolibet monstro est intelligendum. & qualisnam foetus monstrosus ad hunc effectum possit dici monstrum videndus Menoch. lib. 2. de arbitr. jud. m. 28. & seqq.

Errant porro & in foetum, & in puerperam obstetrices cum in actu parienti verba superstitiosa proferunt, aut superstitiosa etiam remedia adhibent ad partum accelerandum, vel cum superstitiosos actus quosdam faciunt, quibus cum semper vel implicite, vel explicite Dæmonis opera interveniat, videant quam pessime cum puellis agant, dum in primo eorum ortu Dæmonem in patrocinium advocant. Christiana igitur, & prudens obstetrici hæc cane pejus, & angue effugiat, & invocato semper Dei, Deiparæque Virginis præsidio, operi sibi imposito incumbat, & si quibus remediis sit utendum, Physica tantum sint, & nulla omnino superstitione suspecta.

Peccant ulterius obstetrices cum debitam diligentiam non adhibent in adjuvando ipsis parturientibus, ut partus facile succedat tam ex parte foetus, quam ex parte matris; & quia ad debitam diligentiam adhibendam multa experientia opus est; hinc fit, ut obstetrices, quæ nulla præcedente exercitatione, & observatione ex aliis senioribus obstetricibus petita ad hoc munus deveniant, mortaliter peccent, quotiescunque illud exercent, etiam si bene exercent; quia semper paratae sunt dare causam magno vitæ periculo mulierum, cum recte administrare administranda nesciant, & si quid insoliti eveniat evitare, aut corrigere non sint aptæ. quæ vero errata, & cuius momenti ex hoc emanare possint, late demonstravit Mercurius loco supra cit. Sciat ergo diligens obstetrici, optimeque calleat non solum naturalem partum, sed etiam contra naturam adjuvare, expertaque sit in omnibus, quæ & ad partus actionem, & ad foetus, puerperæque custodiam, & ad symptomata pueralis nuper natis, aut puerperis ipsis eventientia pertinent, in quorum omnium non oportuna, aut nimis tarda, vel nimis præcipitata administratione maximi momenti errores intervenire indices adnotatur.

Verum post hæc, imo ante hæc omnia tenetur Christiana obstetrici debitam, ac veram baptizandi formam, ut decet, scire, quam si non exquisitè calleat, mortaliter absque dubio, & gravissime toties peccat, quoties baptizat. Navarr. in Manual. c. 21. m. 7. patet enim quanta mala ex hac obstetrici ignorantia non fragilibus puerorum corporculis, sed ipsorum animabus immineant; neque enim baptizatus dicitur, qui non est baptizatus sub vera baptizandi forma à Catholica Ecclesia præscripta, unde certum est tales sic baptizatos vitæ æternæ bonis defraudari, quod in casu nostro ex ipsarum obstetricum culpa fit digna animadversione expianda.

Præterea peccant obstetrices in præscribendo victu puerperarum contra id, quod Medicis placere noverunt; consueverunt enim audaculæ istæ mulierculæ ex proprio Marte multa contra Medicorum dogmata præscribere, sibi metipsis persuadentes multo plura se Medicis cognoscere; & idcirco Medico præcipiente Puerperæ abstinentiam à vino, aut jubente dandum esse vinum leve, & olygophorum, illæ contra & vinum propinant, & illud quidem potens, ac meracum, ex quo fit, ut facile genitales partes ob extraneum conceptum calorem in partu, inflammatione tententur. sic etiam Medico in nonnullis casibus teneum victum præscribente, ut quando puerperæ retinentur partus purgamenta, & quando interdum ob id ipsum magna simul

simul febre detentur, ipse contra victum non solum plenum, sed plenissimum instituit, & in causa sunt, ut febre aucta, Puerpera in vitæ periculum deveniat. reprimenda ergo earum audacia est, & si quid contra Medicorum præcepta pertinaciter peccare inveniatur, severissime puniendæ, & officio obstetricis privandæ, maxime quodcumque constet, ipsas etiam à Medicis admonitas ab iis erroribus non desistisse.

Errant etiam eadem mulieres non leviter cum Puerperis, aut aliis quibuscunque foemina quicquam per os notatu dignum exhibere audent, hoc enim ipsis nullo modo permittendum, quia ignorant individuorum, morborumque ac Medicamentorum naturam, & quicquid machinantur casu faciunt, sed hic error est illis communis non solum mulierculis aliis, sed etiam cum ineptissimis Empiricis, cum quibus & ipse, ut decet, veniunt multatandæ. Quia tamen obstetrices in iis, quæ ad earum munus pertinent partem cum Medicis aleam currere videntur, determinandum ulterius de quibusdam erroribus, qui cum erroribus Medicorum rationabilius conveniunt; & primo quoad consilia videndum esset, an teneantur obstetrices, mulieres cum partui sunt vicinæ, aut quæ in ipso partu periclitantur, ad Sacramentalem Confessionem suadere; quia licet actio partus sit naturalis ex se, tamen adeo de facili præter naturam evadit; & tam promptè exitialis fit, ut jure mulier in partu existens dicatur vitæ periculo exposita, in quo casu eas Pœnitentiæ Sacramento sese munire conveniens est; cum ergo Medici teneantur eis, quorum curam suscipiunt, & maxime quando morbis exitialibus subjiciuntur, confessionem suadere, eodem modo obstetrices videntur teneri Parturientibus eandem confessionem injungere. Erant mediisidius obstetrices ad hoc medio juramento obstringendæ, antequam illis licentia impertiretur in eo munere se exercendi, cum tamen neque ullum tale, neque aliud simile juramentum præstent, ex mea vero sententia præstaret, eas non solum ad hoc medio juramento obligare, sed etiam ad multa alia, quæ ipsæ facillime, & absque ullo scrupulo contra propriam conscientiam patrare solent. jurarent saltem, nulli se mulieri abortum consulturas, medicamenta ad sterilitatem conciliandam, aut ad alium quemlibet malum finem non exhibituras, pueros nascentes non nisi juxta sanctæ Matris Ecclesiæ præcepta excepturas, eosque secundum eadem præcepta, quatenus opus fuerit, baptismatis lavacro aspersuras, omnem se superstitionem non tam in actu partus, quam baptismi, & in alia quacunque occasione relicturas.

Cæterum quia obstetrices aliquando tanquam peritæ in iudicium vocantur, ut in multis, quæ ad eas pertinent secundum earum peritiam sententiam suam propalant, ut cum quæritur de alicujus Virginis integritate, aut cum de mulieris impotentia ad copulam, aut cum dubitatur, an mulier in utero habeat, nec ne, & in aliis permultis, certe non dubitandum, quod etiam de aliis Medicis firmavit, in eis habere locum, peccare nempe eas mortaliter quotiescunque contra veritatem, & contra id, quod ex propria peritia sentiunt, iudici relationem faciant; quod peccatum eo magis grave, magisque punibile est, quo magis in particularium hominum, vel ipsius justitiæ præjudicium earum votum emanat.

Verumenimvero circa operationem errant obstetrices, si parientem in necessitate positam quacunque occasione relinquunt, & maxime si hoc faciant, ut ditiori inserviant; tantumdem enim est, ac si medicus infirmum ante absolutam curationem deserat, quem magnæ culpæ reum fieri supra quæst. 6. dixi. Si ergo ob absentiam obstetricis, quæ illam reliquerit, mulieri in partu positæ quicquam sinistra eveniat, non minus illa puniendæ, ultra mortale peccatum, quod etiam illam incurere est verisimile, ut de Medicis etiam cum Navar. dixi loc. cit.

Sed hic error omissionis est, commissionis est qui sequitur, nimirum quando obstetrices jam vetulæ, & invalido corpore obstetricio muneri ineptæ, tamen ab eo sese lucro inhiantes abstinere recusant; ex hoc enim quamplurimis non contemnendis erratis occasionem dare possunt, quæ in notabile tam parientium, quam foetuum præjudicium resultare possunt, & maxime in casibus difficilioribus, quando maxime & foetus, & matres obstetricum alacritate, robore, perspicacia, ac dexteritate indigent, contra quam ille sese eis præbere possint, quia ex senio effræxæ jam sunt, viribusque debiles, inertes, ac tardæ neque possunt, ut decet, tanta necessitate urgente, opem ferre. non negaverim tamen, si iudicio polleant, ut altera juniore, ac robustiore foemina ad manualia opera substituta, ipsæ præsentibus consilio & foetam, & foetum, & juniorem obstetricem coadjuvent, quam etiam instruant quam ratione sese in eo casu gerere debeant.

Determinandum autem erat, an mulieres obstetricis munus exercere absque eorum licentia possint; ad quos pertinet illam impertiri, nempe Medicorum, qui de Collegio Civitatis sunt; ac profecto cum licentia concedatur præcedente examine, ex quo apparet, an tali officio idoneæ sint, necne, non possunt absque licentia obstetricem exercere, & si quicquam locum habet hic similitudo, quemadmodum Medicus absque doctoratu non potest mederi, ut dixi supra quæst. 7. sic neque obstetrici eo officio fungi absque licentia poterit; excipiendi tamen casus necessitatis, in quibus unaquæque mulier obstetricem exercere tuta conscientia potest, quemadmodum & Medicum non doctoratum in casu necessitatis posse mederi volunt DD.

Nec minus quam errant ipsi Medici, qui plures infirmos curandos suscipiunt, & omnibus debitam opem ferre non possunt, peccant & ipsæ obstetrices si plures parientes, quibus inserviant uno eodemque tempore habeant, quibus accurate subvenire non valeant; debent enim omnino illas relinquere, ut alias convocent, quæ obstetricari illis possint, & solum iis inservire, quas sua se solertia juvare posse cognoscunt, aliter si ex hoc alicui damnum aliquod resultaverit, immunes à culpa non sunt.

## S V M M A R I V M.

1. Infirmis assidentes veniunt hic sub nomine Medici.
2. Errata assidentium in quibus consistant.
3. Summa artis Medicæ difficultas unde.
4. Assidentes quomodo errant circa administrationem medicamentorum.
5. Circa victus rationem quomodo errant assidentes.
6. Assidentes errant negligendo convocare Parochos.

## De Assidentium, seu Ministrantium erroribus.

## QVÆSTIO X.

**H**I quoque, qui infirmis assident, aut illis aliquo modo ministrant, sub medicorum censu pro nunc venire debent, nam & hos multis erroribus implicari non advertentes contingit, qui etiam à legibus punitionem reportare deberent, quod etiam si de facto non fiat, non est idcirco, quod aliquando grave, & mortale peccatum non incurrant. Omnia vero horum hominum errata consiliter videntur in exequendis quæ Medici præceperint; itaque aut omittentes ea, quæ illi jubent, aut facientes ea, quæ illi vetaverint, errare solent; factum autem aliquando est, imo & quotidie fit, ut ob aliquem huiusmodi ministrantium assidentiumve errorem ægri plurima damna perpetiantur, & interdum etiam vitam cum morte commutent; eam ob rem inter præcipuas Artis Medicæ difficultates hanc agnovit de ea tantopere bene meritus senex noster Hippocrates lib. 1. Aphor. 1. quod non sufficiat medico, ut recte operetur, se ipsum præstare oportuna facientem, sed necesse etiam sit, ut & ipsi ægri, & Assidentes, illisque ministrantes, & exteriora in salutem ipsorum conspirent, faciendo ea, quæ ad eorum salutis acquisitionem pertinent.

**4** Graviter ergo peccant multi, qui vel remedia à Medicis proposita in ægrorum utilitatem renunt, quod, exempli gratia, nimis implacida illis videantur, vel quod illis non probentur, vel ea secundum Medicorum præceptum non adhibent, ut, jubente Medico, sanguinis extractionem ex venæ sectione, ipsi cucurbitulas malunt scarificatas applicari, vel hyrudines, improbanter venæ sectionem, ægro debilitatem causati, aut præteritus veneris usum, aut aliud quid, sic & si Medicus purgans medicamentum præscribere voluerit, stomachi subversionem, ejusque

imbecillitatem in medium afferentes, in causa sunt, ut æger medicamentum non assumat, unde debitis auxiliis defraudatus, aut vitæ periculum subit, aut saltem morbus in longum protrahitur, at narrari vix potest, quantopere vulgates hi Doctores ægris assidentes ipsis dispendio sint; nihil enim à Medico proponitur, de quo illi insalsum aliquod dubium in medium non afferant, & quod pejus est, semper se præ Medicis ipsis sapere sibi persuadent.

In vidus porro ratione quam frequenter non leviter errent, vix possibile dictu est, & maxime mulieres; quæ præcipiente Medico victum tenuem, ipsæ semper pleniorum exhibent, semper, æternumque ægri debilitatem, nunquam plenitudinem pertimescentes. res autem à Medico vetitas, ut ægro morem gerant, passim offerunt; sed non considerant, quod si ex eorum errore æger decedat ipsi ejus mortis rei efficiantur, & idcirco etiam irregularitatem incurrun, ut post Innoc. & alios DD. dicit Covarruvias in 2. par. relect. §. 4. rubr. de Homicid. num. 3. vers. ex his etiam. non enim de raro fit, ut horum aliquis ægro obtemperare studens, ipsum è medio tollat.

Cæteram assidentes ægrotis, eisque ministrantes peccare non est dubium, si negligentes sint in convocandis Parochis, & Sacerdotibus, qui ipsis ægris oportune Ecclesiæ Sacramenta ministrant; quod multo magis habebit locum, si de his à Medico admoniti, iusta non exequantur, quod enim ex se ad hoc teneantur sub poena mortalis peccati ego quidem affirmare non ausus fuero, quod ad me hæc non pertineant, sed ad Canonistas decidere. certe si quisquis sit Medicum, cæterisque negligentes videat in suadendo ægro confessionem, & in aliis ad animæ salutem spectantibus procurandis, & tamen ipse id ipsum negligat, cum aliquid in his præstare possit, non est ex mea sententia ( si tamen in his mea sententia locum habet ) à peccato immunis. Et hæc de Medicorum erroribus ab utraque Lege punibilibus dicta sufficiant.

Tituli Primi Finis.

PAV-

PAVLI ZACCHIAE

Medici Romani,

QVÆSTIONVM  
MEDICO-LEGALIVM

LIBRI SEXTI

TITVLVS SECVNDVS.

De Tormentis, &amp; Poenis.

Continens Quæstiones octo;

quarum

I. Tormentum, Quæstio, Tortura, Poena quid. Tormentorum quot genera, quot item genera Poenarum.	409
II. De gradibus Torturae, & de Carceribus.	413
III. De Tormentis in specie, & primo de Tormento fumis.	416
IV. Quenam impedimenta in causa esse possint, ne Rei chorda tormento subjiciantur.	419
V. De Tormento Vigiliae.	423
VI. Reos in tormentis deficere ex quibusnam signis cognosci possit.	424
VII. De Taxillis, Sibillis, & Ferula.	425
VIII. De Poenis.	427

Admo-